

V
B
J
C

PROPOSITIONES THEOLOGICÆ,

Ex prima parte

D. THOMÆ DOCTORIS

A N G E L I C I

decerptæ;

A

FF. Carmelitis Diſcalceatis Conuentus Cracouień: Studioſis Sacræ Theol: publico certamini expoſitæ.



C R A C O V I Æ,

In Officina Viduæ & Hæredum Andr: Petricouij S.R.M.Typogr. Anno D. 1647.



Illustrißimo ac Reuerendißimo Dño,

D. PETRO GEMBICKI,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ,

EPISCOPO CRACOVIENSI,

DVCI SEVERIÆ, &c. &c.

Domino ac Mecœnati amplißimo.

FF. Carmelitæ Discalceati, perennem fælicitatem precantur.



Llustrißimo nomini, aliquid offerre non illustre, indignum est PRAESVL *Illustrißime. Gaudet siquidem amico lux lumine, & inimicas respuit tenebras, quarum si pateretur consortium, naturam lucis prorsus exuere cogeretur. Hinc est quòd Serenâ tuæ beneuolentiæ luce nos sæpius inuitante, quoties Philosophicas lucubrationes Tuo nomini consecrare proposuimus, erubuimus. Non quòd illæ aliquid luminis non*

nis non haberent in sese (omne enim quod intelligitur lumen est) sed quòd naturalis, quo sublucebant, splendor, à clarissimis Præsuleæ dignitatis virtutisq; Tuæ radijs hebetari, obscurariq; videretur. Nunc verò quia illuxit nobis Beatificum Lumen Diuinis etiam non inassuetum splendoribus; accedimus ad Te, Tuoq; Nomini ac Lumini, hoc cæleste Lumen in Assertionibus Theologicis radians deuouemus, ac consecramus. Nec inopportunè nascentis Theologiæ frontem Tuâ cingimus Fasciâ. Nouimus siquidem Fasciam contra omnem fascinationem vetustissimum vsitatissimumq; esse remedium: Iuxta illud Poëtæ:

--------- Frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Ergo ne Fascinatio, quæ primæ ætatis flores decoquere solet, teneriori noceat Theologiæ Sacræ, Tuâ Fasciâ eius frontem cingimus: securi, quòd sub Tuæ beneuolentiæ auspicijs, Tuaq; patrocinante Fascia infans Theologia (adultæ tamen nostræ in Te deuotionis partus) adolescet. Viue diutissimè Ecclesiæ Dei, Religioniq; nostræ, quod omnium nostrum commune Votum est.

PROPOSITIONES
Theologicæ Prooemiales.

I.

NAturale,quod hominibus ineſt, ſciēdi deſiderium, expleri quidem poteſt per naturales ſcientias, in ſtatu perfecto acquiſitas , per eas tamen ad notitiam beatifici finis intellectus humanus reduci non poteſt ; ac proinde extra Phyſicas diſciplinas,neceſſaria eſt doctrina per reuelationem accepta , quâ in huiuſmodi finis notitiam deuenire valeat.

II.

DOctrinæ reuelatæ nomine, non intelligit Angelicus Doctor Fidem, vt diſtinguitur contra Theologiam,nec è contrà,Theologiam , vt diſtinguitur contra Fidem , neq; Theologiam, vt comprehendit Fidem , & Concluſiones ipſas Theologicas;ſed cognitionem à Deo reuelatam,ſiue formaliter , ſiue virtualiter , prout abſtrahit à ratione crediti & ſciti.

III.

THeologia noſtra tam Scholaſtica quàm Poſitiua,licet non ſit neceſſaria ſimpliciter ſingulis hominibus ad ſalutem : vtraq; tamen neceſſaria eſt in Eccleſia Dei,cum hac ſola differentia, quòd Poſitiua ſimpliciter eſt neceſſaria , Scholaſtica verò duntaxat ad melius eſſe,ſi formaliter ſumatur. Si enim materialiter,& quoad id,in quo identitas inter illas cadet , eandem cum Poſitiua neceſſitatē habet.

IV.

SAcra doctrina secundum propriam speciem, est Habitus verè ac propriè scientificus, subalternatus simpliciter & propriè, Scientiæ Dei & Beatorũ: quamuis in nobis viatoribus sit imperfectus, quæ imperfectio, licet non tollat identitatem ipsius genericam cum Theologia euidenti, & alijs scientijs, maximã tamen eius innuit indigentiã.

V.

ACquisita in statu viæ Theologia exportabitur in Patriam, quoad formalem & specificam rationem sui, non vt ad ornatum solummodò deseruiat, sed etiam ad exercitium, & vsum demonstrationum; deducendo ex principijs Conclusiones, non tantùm quas hîc acquisiuit in via, verùm & multas alias nouas, quas in statu viæ permanens ex principijs non elicuerat.

VI.

HÆc Theologia est vna specie atomâ Scientia, etsi diuersa, quæ à diuersis Scientijs tractãtur, cõsiderat; gaudetq; hâc vnitate, nedũ quoad Cõclusiones illas, quas ex principijs Fidei tantùm, sed etiã quoad eas, quas partim ex Fide, partim ex principijs naturalibus deducit. Ratio formalis sub qua, ex qua vnitas ista desumitur, est Lumẽ, quòd diuersimodè acceptum in diuerso illam statu constituit: Lumen clarum, Scientiam Beatorum euidentem: Lumen ex principijs Fidei causatum, Scientiam viatorum ineuidentem: Lumen abstrahens ab obscuro & claro, Scientiam status absoluti.

VII.

VII.

SAcra doctrina, secundum vnum eundemq; habitũ, nec est purè Speculatiua, nec purè Practica, sed altior, comprehendens in se eminentiùs rationem speculatiui & practici; magis tamen est speculatiua quàm practica. Quia verò Scientiæ practicæ finis proprius est operari, vel opere appetitus, vel potentiæ executiuæ, ideò praxim asserimus esse opus alterius potentiæ ab intellectu.

VIII.

DIgnitatem Theologiæ extollit, quòd maximè Sapientia est, non in aliquo genere tantùm, sed simpliciter; ad eã nihilominùs non spectat probare principia aliarum Scientiarum (hoc enim facit Theologia naturalis) sed solummodò iudicare de illis, in quo quidem modo iudicãdi differt Theologia à Sapientia, quæ est donum Spiritus Sãcti. Hæc enim iudicat de principijs illarum per modum inclinationis: illa iudicat de illis per modùm cognitionis.

IX.

OBiectum formale in esse rei Theologiæ, est Deus; vnde illi qui attendendo ad ea, quæ in ista Scientia tractantur, scilicet, ad res & signa, opera reparationis, totum Christum, & multa entia Diuina; & non attendentes ad rationem secundum quam considerantur, summè deuiarunt, asignantes illa pro Obiecto formali. Omnia enim prædicta non nisi Deitatis ratione vestita, Theologicæ speculationi præsentantur.

X.

ESt etiam hæc Sciẽtia Argumentatiua, non quidẽ quod argumentetur ad ſua principia probanda, quæ ſunt Articuli Fidei, niſi fortè contra Aduerſarios aliqua ex illis admittẽtes, & aliqua, quæ cum admiſsis habent connexionem, negantes: ſed ex huiuſmodi præmiſsis, procedit ad aliquid aliud oſtendendum. Licet autem non poſsint demonſtratiuè probari Articuli Fidei, poſſunt tamen argumenta Aduerſariorum ſolui euidenter.

XI.

COnueniens eſt Sacræ Scripturæ Diuina & ſpiritualia ſub ſimilitudine corporalium tradere, nec deſtruitur propter figuras ſenſibiles Diuinæ reuelationis radius, immò Metaphora vtilis eſt, ad exercitium ſtudioſorum, & contra irriſiones infidelium. Ad cognoſcendum locutiones Metaphoricas in Sacra Scriptura, receptiſsima regula eſt D. Auguſtini *lib: 8. ſuper Geneſ: ad lit. cap: 7.* Quotieſcunq; voces in propria ſignificatione non important ſenſum abſurdum vel falſum, ſemper debent exponi in propria ſignificatione.

XII.

SAcra Scriptura ſub vna litera habet plures ſenſus, ſcilicet, Literalem ſeu Hiſtoricum, Myſticum ſeu Spirituale͂; Senſus verò Spiritualis triplex eſt, videlicet Allegoricus, Tropologicus, & Anagogicus. Secundum ſenſum literalem, poſſunt etiam in vna litera plures eſſe ſenſus; multiplicitas autem iſtorum ſenſuum non parit æquiuocationem, aut aliam ſpeciem multiplicitatis.

DE VISIONE DEI.

I.

SI cuilibet creaturæ posſibile eſt ad beatitudinem ſibi proportionatam pertingere, nec rationali impoſſibile erit. Quia verò ſumma ac omnium perfectiſsima ipſius beatitudo, in alio conſiſtere nequeat, præter quam in coniunctione intellectuali, eaque perfectiſsima, cum ſuo primordiali ac fontali principio; hinc eſt, quòd hic modus coniunctionis, etſi ſupremus ſit, nec eidem repugnare, nec capacitatis eius limites tranſuolare poteſt.

II.

PEr lumen naturale ſecundum ſe & præcisè ſumptum; non poteſt euidenter cognoſci ab intellectu creato, ſeu demonſtrari ſiue à priori, ſiue à poſteriori, poſsibilitas viſionis Dei per eſſentiam: immò nec poſsibilitas mediorum, per quæ illa conſequibilis eſt. Quia media ad aſſecutionem prædictæ viſionis ordinata, nempe Gratia, Fides, Spes, Charitas, &c. ſupernaturalia ſunt, quæ proinde luminis naturalis captum excedunt.

III.

INtellectus creatus adiutus lumine Fidei, poteſt demõſtratione Theologicâ oſtendere poſsibilitatem viſionis Dei per eſſentiam, dummodò ex principijs reuelatis, vt talibus, vel ex eiſdem, & alijs lumine naturæ notis, eam deducat. Si enim lumine Fidei excitatus, naturalibus

duntaxat ad hoc vtetur principijs, non demonſtratiuam, ſed probabilem, & coniecturalem tantummodò cognitionem, de viſionis beatificæ poſsibilitate eliciet.

IV.

VIſionis claræ Dei poſsibilitas Sanctis Patribus ignota eſſe nequiuit. Ipſe enim D. Chryſoſtomus, quem vt ducem aliorum pro oppoſita ſententia Aduerſarij referunt, *in Epiſt: 5. ad Theodorum lapſum*, eam poſsibilem eſſe his fatetur verbis: *Si Petrus qui vidit quandam obſcuram imaginem futurorum, omnia continuò reiecit ab animo propter voluptatem inditam animæ à tali aſpectu, quid dicemus, quando rerum veritas aderit, quando regijs cubilibus adapertis contueri licebit ipſum Regem, non per ænigma, nec per ſpeculum, ſed facie ad faciem.*

V.

CVm appetitus naturalis per modum ponderis naturæ non tendat, niſi in bonum connaturale & proportionatum, Deus verò clarè viſus, ſiue vt eſt Trinus & Vnus, ſiue vt eſt Vnus, & prima cauſa, ſit obiectum ſupernaturale & ſuperexcedens, ideoq; nullus appetitus innatus, ſeu naturalis, in ordine ad Deum clarè & quidditatiuè viſum, in creatura rationali reperiri poteſt.

VI.

APpetitus quoquè elicitus efficax viribus naturæ, in ordine ad Deum clarè viſum, in nulla creatura actum ſuum eli-

um elicere poteſt. Poteſt tamen actum inefficacis deſiderij & conditionati, qui tamen non erit neceſſarius, etiam quoad ſpecificationem in via videndi Deum quidditatiuè. Ex cognitione quoque aliquorum effectuum ſupernaturalium, poteſt habere deſiderium abſolutum videndi ipſum Deum clarè, quod poterit dici naturale ſecundum quid, erit tamen ſimpliciter ſupernaturale.

VII.

IVxta mentem Angelici Doctoris, & ipſam rei veritatem, non eſt admittenda aliqua ſimilitudo creata ex parte obiecti ſe tenens, in ordine ad viſionem Dei eliciendam: immò per abſolutam etiam Dei potentiam, nequit produci talis ſimilitudo, quæ habeat Deum clarè repræſentare, & quidditatiuè, prout eſt in ſe, & hoc ipſum tres Rationes Doctoris Sancti in articulo inductæ efficaciter conuincunt.

VIII.

ESſentia Diuina, quæ ratione ſuæ infinitæ actualitatis, & immaterialitatis, habet per ſe eſſe intelligibilem, ſeipſa vnitur in ratione ſpeciei intelligibilis cum intellectu creato lumine gloriæ perfuſo; ſic autem vnita non præbet ſecundum ea, quæ in recto ponit, informationem naturalem intellectui, poteſt tamen præbere eandem informationem ſecundum ea, quæ de connotato affert.

IX.

COncurſus actiuus ſpeciei exprimit perfectionem ſimpliciter

pliciter ſimplicem: ideoque neceſſariò ſpeciei tribuendus eſt, non illi duntaxat ſpeciei, quæ quoad rationem intelligibilem, vel intentionalem, cum obiecto coincidens, quo ad eſſe entitatiuum coincidere nequit, verùm & illi, quæ cum obiecto repræſentato identitatem vtriuſque ſtatus obtinet. Quinimmò nec illi ſpeciei prædictum concurſum attribuere formidamus, in qua linea entitatiuæ entitatis, eſt linea intelligibilis entitatis.

X.

VErbum ſeu ſpecies expreſſa in omni intellectione creata, etiam ſupernaturali, formari debet, vnicâ clarâ Dei viſione exceptâ. Iſtius enim obiectum actu intellectum, eſt ipſa eſſentia Diuina, cui ex intrinſecis & eſſentialibus eſſe obiectum actu intellectum competit. Aliunde autem & non ab intrinſecis id poſsideret, ſi Verbum creatum inter viſionem & eſſentiam Diuinam mediaret.

XI.

POtentia limitata metam tendentiæ ſibi præfixam trãſgredi nequit, nec ad aliquid ſe extendere, quod ad extenſiuum ipſius obiectum reduci non poſsit. Quapropter impoſsibile eſt corporeâ viſione, vel ſenſatione materialitate onuſtâ, videre Deum prout eſt in ſe. Deus enim ex-pers eſt omnis corporeitatis, & materialitatis; nec oculus corporeus capax eſt tantæ glorificationis, vt ratione illius ad intelligibile, ex ſe, tanquam ad viſibile ſuum, tendere queat.

XII.

XII.

NEquit dari etiam ſupernaturaliter intellectus ordinis naturalis, qui ex proprijs viribus poſsit videre Deum prout eſt in ſe. Quinimmò implicare contradictionem diximus, dari aliquam ſubſtantiam, vel intellectum creatum, quibus ſit connaturale lumen gloriæ; ac proinde ſubſtantiam ac intellectum ſupernaturalem. Talis enim ſubſtantia, deberet eſſe ipſa gratia ſubſiſtens, immò ſummâ & inexcogitabili identitate cum Diuina natura conueniret.

XIII.

INtellectus creatus eget lumine gloriæ ad videndam Diuinam eſſentiam prout eſt in ſe, non quòd illud concurrat per modum ſpeciei impreſſæ, dans virtutem requiſitam ex parte obiecti; ſed quia habet ſe per modum diſpoſitionis neceſſariæ, ad hoc, vt eſſentia Diuina in ratione formæ, ſeu ſpeciei intelligibilis, vniatur intellectibus beatorum, & vt in ijs recipiatur viſio Dei per eſſentiam. Hoc enim ſublato, improportionatus ad recipiendam illam remanet intellectus.

XIV.

VIſio beatifica nequit fieri etiam per potentiam Dei abſolutam ab intellectu creato, per puram & nudam potentiam obedientialem ipſius, addito ſolo concurſu Dei ſupernaturali in ipſam viſionem, non verò in intellectum: immò nec ipſa eſſentia Diuina poteſt in ratione luminis vniri intellectui creato, ita vt per ipſam cõſtituatur in actu

primo ad visionem, sed necessariò requiritur lumen gloriæ creatum, per modum habitus, vel saltem per modum dispositionis.

XV.

INter visiones beatorum reperitur inæqualitas ratione luminum inæqualium proximè & formaliter, at ratione gratiæ, siue meritorum ex gratia factorum radicaliter: proinde certò tenendum est, gloriosissimam Reginam cæli Deiparam Virginem MARIAM, quemlibet Sanctorum & Angelorum excellere in gloria, quin etiam gloriam eorundem collectiuè etiam sumptorum à Gloria Virginis longè superari, vt certum teneamus.

XVI.

INæqualitas hæc visionum solum potest esse intensiua vel extensiua, non verò specifica vel essentialis, ita vt dentur duæ species distinctæ, loquendo etiam de visionibus hominum & Angelorum inter sese, nec non ad inuicem comparatis. Nam ex parte obiecti, & ex parre principij formaliter sumpti, conuenientiam fundantem identitatem specificam habent. A perfectiori potentia æquali lumine perfusa, perfectior visio promanare non potest.

XVII.

NVllus, quantumcunq; beatus, potest peruenire ad illum gradum visionis, vt visione suâ comprehendat Deum: omnes tamen beati vident vniuersas perfectiones absolutas, & necessarias, formaliter in ipso existentes, quoad

quoad omnem realitatem, quam in ipſo ponunt. Licet vna Perſona Diuina terminare poſsit naturam creatam, non terminante aliâ, non poteſt tamen fieri per omne Diuinum poſſe, vt beatus intuendo Deum, non intueatur Perſonas, aut quòd intueatur Perſonam aliquam, & non omnes.

XVIII.

OMnes creaturæ poſsibiles non poſſunt videri per viſionem Dei formaliter, ſed tantùm aliquæ, plures vel pauciores, iuxta maiorem vel minorem perfectionem luminis gloriæ. Quemadmodum autem viſio beatifica pertingens ad cognitionem aliquarum creaturarum poſsibiliũ, non pertingit ad cognitionem omnium; ſic pertingens ad immediatam cognitionem aliquorum actuum Dei liberorum, non pertingit ad cognitionem illorum, prout verſantur circa omnem futuritionem, vel non futuritionem, non negatiuam ſed poſitiuam.

XIX.

EX his, quæ de facto in aliqua differentia temporis exiſtunt, quilibet beatus cognoſcit omnia myſteria Fidei, & omnia quæ continentur in Sacris Literis, & ſecundum omnes ſenſus; omnes item Traditiones Eccleſiaſticas nõ ſcriptas, & omnes Pontificum ſeu Conciliorum definitiones; ac deniq; totum, quicquid vel explicitè vel implicitè in via credidit. Quilibet item Sanctus cognoſcit ea, quæ ad proprium ſtatum ſpectant, vt v. g. Summi Pontifices, quæcunque aguntur in Eccleſia; Fundatores Religionum, quæcun-

quæcunque in ſuis Religionibus fiunt; Reges, quæcunque in ſuis Regnis contingunt. Omnes autem Sancti orationes ad ſe fuſas in Verbo cognoſcunt.

XX.

DEvs vt eſt in ſeipſo, ſiue quidditatiuè, nequit per rationem naturalem cognoſci, benè tamen quoad An eſt, & quoad ea, quæ ipſi neceſſariò conueniunt, vt eſt prima causa omnium, de quibus multò altior perfectiorque haberi poteſt, pro hoc ſtatu, cognitio per gratiam, quàm per naturalem rationem, ab his præſertim, qui contemplationi vitam ſuam deuouerunt.

LAVS DEO, VIRGINIQVE MATRI.



